

## NEOVIDENSIS.

No. i.



IN VICEM PROOEMII  
EX ELYSIIS CAMPIS.

*Politici Mortuorum Dialogi.*

Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque  
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,  
Quem penes arbitrium est, & jus, & norma loquendi,  
*Horat. de Art. Poët.*

PERSONÆ LOQUENTES:

*La Moignon Malesherbes. — Frid. a Wurmb.*

*Malesherbes.*

Quin hujus, aut illius idiomatis prærogativas lacessere, aut quodpiam eorum convitari sit opus, fidenter propugnvero, Gallicum idioma latissimè patere.

*Wurmb.* In Magno, ut Europæi loquuntur, Mundo ita rem habere non negaverim. Vis autem innuere idioma plurimis Europæ populis familiare, tum equidem abnuo. Qui vero tu, optimæ frugi Spiritus, in tui idiomatis laudes importunus effunderis?

*Malesherbes.* Pålulum ante collationi certæ interfuisse licebat, ubi Rivarolus ille Gal-

lici præ ceterorum, ut dicimus, viventium idiomatum præcellentiam coram scriptore Teutone crepabat. Et isthoc desuper mihi quoque tecum conferendi præbuit opportunitatem: alioquin autem nostrum utrique anno- so licebit vel sine sanguinis commotione si- milem pertractare quæstionem. Cedo itaque! quodnam illud idioma populis Europæis fa- miliarissimum?

*Wurmb.* Illiricum, seu sic dictum Slavi- cum. Viden' Polonos, Russos, bonam Hun- garorum partem, Bohemos, Moldavos, ac potiozem Europææ Turciæ portionem Lin- guam Slavicam variantibus pauculis idiotis- mis terere? taceo plerasque Asiæ Provincias.

*Malesherbes.* Ast in Commerciis, in Di- plomatia hæc parum teruntur idiomata, sua- rum nisi terrarum arctata limitibus.

*Wurmb.* Certe hucusque: pone autem, Russi pedetentim invalescant, excolanturque ea mensura, qua inde ab uno seculo cœpe- re; ni videas & eorum idioma propagatum, & Gallicanum adeo e Commerciis, ac Di- plomatia exturbatum iri.

*Malesherbes.* Ne ipse quidem negavero, Victorem suum idioma quaquaversum secum portare, devictis obtrudendum. At isthoc non solis proprium Victoribus: numquid au- rea Ludovici XIV secula, ipse licet nullis triumphis claruisset, Gallicum idioma minus propagatura credis?

*Wurmb.* Fuerint hæc non levia prove- hendæ Linguae Gallicæ adminicula. Verum-

tamen arma illa prospera; illud habitum in Europa præpondium! . . .

*Malesherbes.* Inter viventia idiomata princeps est Gallicanum, quod fere integro abhinc seculo in sic dicto Magno, & elegante Mundo obtinuit, juraque sua singulos in annos dilatavit. Ipsum itaque est opportunissimum pro Europæis populis communionis vehiculum. Loquere Boileauium, Massilonium, Bossuetum, Fenelonium &c. & ubique in Magno Mundo bene loquere simul, ac intelligere: fac adeo, emoriatur Lingua Gallica, usque tamen discetur, quo Boileau, Massilon, Bossuet, ac Fenelon legi possit.

*Wurmb.* At colendis hodie linguis undique multum operæ collocatur; quod vel in Europæis quinque, puta Gallica, Anglica, Italica, Teutonica, & Russica perspexeris. Qua mensura Nationum genius perficitur, ea plures aperiuntur in populis communionis viæ. Quid jam isthinc intuleris? Si natio singula ceterorum populorum idiomata ediscenda habeat ideo, quod culta sint; studium hocce cultorum viventium idiomatum quiddam amplius, quam hominis ætatem requiret. Jam enimvero hodie horum idiomatum copia non leve præjudicium facessit communicationi scientiarum, Artium &c.

*Malesherbes.* Ausim tua venia sensum desuper promere meum? Vel ideo nulli patere debet Lingua Gallica invidiæ; vel ideo latius patentem oportet optare, ac demum vel ideo sustentandis prærogativis satagere. Ipsa

etenim vices Latinæ supplere sufficiens; & meo quidem calculo præstabilius videtur, pro communi vivum præ mortuo constabiliri idiomate.

*Wurmb.* Ain' tu Latinam suppleri posse? ac suppleri per Gallicam; illam, quæ orbata Declinationum Casibus, adjuncta suorum Articulorum, ac Verborum Auxiliarium beneficio curta solummodo, & monosyllaba Vocabula valet adferre ad Dictionis majestatem? quæ, quin voces in Constructione translocare audeat, tyrannica necessitate prohibetur? quæ de sublimi Lapidari Stylo nullatenus gloriari audet? quæ nulla composita vocabula, nonnisi paucula Diminutiva usurpare valet? hæccine idiomatis Latini puritatem, vivacitatem, nobilitatem, concentum, energiam, elegantiam, den que junctam majestati dignitatem suppleat: \*) Non ignobilis est fateor, Lingua Gallica; delectat enim Epigrammatis, & salibus ingenuis; præstatque plurimis, si demas Italicum, idiomatis. At vero non ita, ut Latina, repræsentanda

---

\*) Suppleat bona venia, si potest; supplebit certe apud imperitos, uti solet apud egenos panis hordeaceus triticeum. At qui Latinitatis periti fuerint, nemine prohibente, imperitos despicient alto supercilio. Alioquin videmus ubivis gentium eminere, qui Latium sermonem callent; at in Patria nostra Hungarica, ubi passim ruricolos Latinos audias, quomodo ignarus Latinitatis palam apparebis? Certe tentarunt jam quidam Latinæ linguæ substituere suam maternam in pertractandis Discipulis Sublimioribus; at etiam rursus ad Latinitatem reversi sunt, evidenti simul, ac favorabili pro hac lingua præjudicio.

rum imaginum audaciam, nec pomposas periodorum terminaciones, nec denique seu motus ciendi, sive rapiendi in admirationem vim possidet. Pollet tamen in narrationibus grata dexteritate, amœna subtilitate, expressionum lepore, justo ordine, accurata rerum serie; quod eam theatralibus drammatibus accommodam facit.

*Malesherbes.* Nihil tuis æquius animadversionibus. Ne mihi quidem animus erat, Gallicum Latio anteferendi idiomati: nihilo tamen secius, principe loco est inter viventia idiomata.

*Wurmb.* Qui isthuc ais?

*Malesherbes.* Subi sis omnium Principum Europæorum Aulas, an tibi Thuilleras subisse non videbere? in ipso adeo Constanti-nopolitano Gynecæo Gallicismos resonare audiveris: an non Turcas Pacificationis Kaniardiensis Articulos gallice compilasse vidimus? Paucis, universa Ministerialia negotia communicantur gallice, Tractatus Politici concluduntur, Indemnisationes, secularisationesque perficiuntur gallice. Imo quis, quin cogitet, quin scribat gallice, munus Ministeriale pro dignitate sustinet?

*Wurmb.* Plane, quin scribat; sed quin cogitet? - - -

*Malesherbes.* Cave, suspiceris amphibologiam; quo enim scribimus idiomate, eodem cogitemus oportet. At Commercia Gallicum idioma adoptarunt, ut adeo Mercator dimissurus in terras longinquas, atque adeo ignotæ

linguæ, epistolam ut non ad Gallos, gallice tamen scibit: quippe qui norit, hoc idioma præ ceteris & latius patere, & ad culturam Mercatoris fama, potestateque melioris desiderari.

*Wurmb.* Atqui hodie languet Gallicum Commercium?

*Malesherbes.* Bellum est — at finis belli. Pondera modo terribiles contra Britanniam apparatus! iterum postliminio commercium in Gallias revertetur; nec aliud in votis esse, quam pacem Londini gallice componere, gallice Londini signare.

*Wurmb.* Stupendos eventus animo præcepisti! Britannos ad Gallicanam converti dialectum!

*Malesherbes.* Quas Batavis Angli sustulere manubias, eadem Londini Gallis rursus vindicabuntur.

*Wurmb.* Si omnia, quæ ad politicum Galliæ scopum erexisti, e voto cedunt, sentiet Europa, sentiet orbis universus actionis Gallicæ influxum: & tum re probabiliter ipsa

- „ Gallicum idioma tam universale fore,
- „ quam est Jura dandi potestas. Tum &
- „ Rivaroli fatidica evadet sententia, vi-
- „ ctorem ad omnes subjugatarum terra-
- „ rum populos proprium idioma depor-
- „ tare afferentis.

P  
P  
ex  
In  
&  
m  
ca  
jus  
ne  
72

fur  
Ca  
172  
in  
per  
lum  
Leo  
præ  
obii

E

„N  
Politio  
claror  
Poetæ  
partis  
dignita

## B I O G R A P H I A.

*La Moignon des Malesherbes* Præsidens Parisinus, post Regius usque 1788 Minister; Politicus magnæ perspicaciæ, nec minoris experientiæ; Aulæ fidelis, Patriæ studiosus. Infortunati sui Regis Defensor magnanimus, & demum fati ejusdem consors; ut qui, pro more ejusdem ætatis; initæ contra Rempubli- cam conjurationis accusatus, nulla solemn- i justificatione absolvi poterat a condemnatio- ne, dum an. 1794. sub Guillotina Senecio 72. annorum occubuit.

*Frider. Ludov. a Wurmb*, in Grossen- furro, & Porstendorf, Saxonico - Electoralis Cabineti Minister, Ad. Intim. Consil. natus 1723. Cujus eruditio, firmata per uberrimam in variis cum honore gestis Magistratibus ex- perientiam, suæ Patriæ non leve adtulit emo- lumentum. Scipsit Opusculum Sepulcrum Leonidæ inscriptum an. 1798. ubi multa de præstantia, & defectibus Politices invenias. obiit 18. Jan. 1800.

---

*Extractus epistolæ ex Scepusio de dato*

*5. Martii a. c.*

„Nuncium prætitulæ D. V. de vulgandis Latino sermone Politico - statistico Ephemeridibus multorum bonorum, præ- clarorumque Virorum animos, tum vero cumprimis antiqui Poetæ - - - (S. C. R. A. M. Consiliiarii, & haud modicæ partis Peculii Regii Administratoris) - - - Viri non modo dignitate conspicui, sed & de re liter. optime meriti - - -

quiescentem Lyram excitavit, ut ex superabundantia illius solatium, quod ex præclaro p. D. V. avitum sermonem ad vitam quasi reducendi conatu ceperat, ad accendenda aliorum quoque studia, & provocandam tam insigne propositum adjuvandi operam, adjacentes hic ponderosos sane versus cecinerit. Hos cum amicus Auctor pro constante sua in me benevolentia mecum communicasset, tanta exinde affectus sum voluptate, ut continere me nequiverim, quin autographum ipsum p. D. V. præsentarem, quo p. D. V. concitatae de se apud Viros præclaros existimationis testimonium quoddam, velut honesti sui laboris fructum habere possit. Quia vero Carmen istud non modo p. D. V. sed & ipsi Auctori non mediocri cederet honori, atque ad conciliandam annunciatis novellis majorem æstimationem pertineret, - - p. D. V. orandam haberem, ut illud Ephemeridibus suis, suppresso, aut per initiales solum Litteras indicato Auctoris nomine, induci curare dignaretur. " - - &c.

*Carmen in Nuncium Belnaianum.*

Aurea Romanis, illustria Tempora Rostris  
 Cumprimis Latio sunt tribuenda Foro.  
 Exilio damnata Themis fera sæcula traxit  
 Quæ durant, Latiis insidiosa Bonis.  
 BELNAIUS mœstam Nubem pulsurus, avito  
 Vult Sermone loqui, vult reparare Forum.  
 Currite in occursum cuncti, quibus aurea mundi  
 Sæcula, Romanis, sunt pretiosa, Tonis;  
 BELNAIO præbete Rosas, contexite sarta,  
 Pro grandi Nisu, grandis agatur Honos.  
 Vos ego, quos Latio jungit Sacratior ordo,  
 Alloquor; Ausonio Munera ferte Viro.  
 Aurea Divini, revocantur Tempora, Jani,  
 Hæc sacra, Romanis quis neget esse Viris?

J. O.

III.

NEOVIDENSIS.

Nro 1. a. (*Neovidensis Nro 24.*)

---

EX CAMPIS ELYSIIS.

---

POLITICUS SERMO

*De quieto statu Germaniæ.*

---

Elysium — Meum. — Die Martis 3. Aprilis 1804.

---

Sententia:

*Gaudeamus in Domino.*

**E**o demum deventum est, ut sagaces nostri Politici judicent omnem resistantiam inutilem esse, vel plane periculosam; Politicis procellis agitati tam immutabilem, & constantem assecuti sumus statum, ut persuasum habeamus, sola nobis concessa pace tamdiu nos tutos futuros, quamdiu fata mundi vulerint. Non sunt vires nostræ politicæ exrendæ sive ob Brabantiam, sive sinistram Rheni ripam, sive æquilibrium Europæ. Bellum est maritimum, bellum horridum, bellum in omnibus maribus. Quod ibi amittamus, nihil habemus, præter aliquot navicu-

las ; Quiete & pace perfruimur. Gaudeamus in Domino !

Patria nostra nullam novit conjurationem, nullos Georgios, nullos Dumourierios, nullos Prædones; nostri principes circumeunt inter suos fideles Germanos, quemadmodum Parentes inter suas proles; Leges fundamentales observantur; Ordo equestris, utpote debilior pars comparate ad potentiores, retinet sua jura; Archidux Carolus, primus noster, et in sensu Germaniæ verus eques vivit, & valet. Justus noster Imperator decidit lites, secundum æquissimas Constitutionis leges; hyems erat lenis, ver promittit fertilitatem, ipsa natura nobiscum lætatur. Gaudeamus in Domino !

Bibimus Germanicum vinum; si desit anni octogesimi tertii, substituimus nonagesimi quarti; si & hoc deficiat, haurimus ex nonagesimi octavi, imo sapit nobis etiam procreatio anni octingentesimi, canendoque tripudiamus: O si semper sic esset, si semper, si semper, si semper sic esset. Sed quid sibi ista volunt? Non est finis lætitiæ. Quid ad rem: si semper, si semper, si semper sic esset. Gaudeamus in Domino !

Equidem non est modo, sicut olim, ut in Prælaturis, & Abbatiis jucunditatem inveniremus; non est amplius, uti quondam, ut in Monasteriis tam nobiles, quam pauperes se possent refocillare; Benevoli, hospitales, & benefici Præpositi Ecclesiarum, Cœnobia, Abbates, Episcopi sua bona amiserunt. A

pauperibus tamen, & mendicantibus Capucinis aliquid didicimus, quo egenos satiemus, reficiamusque; nunc quidem loco jusculi Capucinatorum distribuitur sic dictum Rumfordianum, quod etiamsi ea bonitate non gaudeat, ejus tamen vices supplet. Gaudeamus in Domino!

Dum Moguntina nova de die 19-na hujus narrant, ex privatis litteris constare: Argentorato & peditatum, & equitatum transivisse Rhenum, ut quidam majoris notæ homines Eppenhaimii interciperentur, esseque reipsa complures currus cum captivis reversos.

Et dum folia Argentina inferioris Rheni (nobis videntur esse superioris) sequentia continent: Compertum est, multos emigrantes in dextra Rheni ripa prope Argentoratum congregari, habereque propositum ejusdem urbis arcem occupandi. Ita rem suam instituerunt, ut revera in possessionem ejus devenerint.

Quam relationem ita explicant Carolinensia de 15-ta Martii: Hodie concubia nocte 1500 circiter milites Gallici partim pedites, partim equites duce Levalio trajecto Rheno comprehenderunt Postæ Magistrum Tridantium. Hic conscius sibi suæ innocentiae tranquillo abiit animo, & uti refertur, pristinae libertati restitutus est. Hinc numerosi milites potissimum equites cum pluribus tormentis, accensisque funiculis incendiariis occuparunt viam intra Offenburgum, & Ettenheimium sitam, quam ingredi nemini erat integrum: in

utroque loco eadem adhuc nocte ceperunt multos magni nominis viros, & Argentoratum in captivitatem abduxerunt. Inter captos numeratur Gallicus Princeps *Duc d'Enghien* (filius Ducis Bourbonici, & nepos Ducis Conde) Hic cum omnibus suis scriptis, & comitatu trans Rhenum deductus est.

Hæc omnia singulari cum cupiditate excipimus, permittimus omnia cursui naturali, & cogitamus: Etiam nobis hinc tandem abeundum erit, nunquam amplius ita juvenes conveniemus. Gaudeamus in Domino!

Legimus in Gallicis Ephemeridibus de 14-ta Martii in adumbratione legum telonia concernentium, quæ 7-ma hujus Corpori legislativo proposita fuit, reperire est etiam quaspiam dispositiones, quæ viciniam Rheni propius attinent. A novis vinis, & musto, quod in vineis trans Rhenum positis incolæcis — Rhenani producunt, nihil solvetur. A lege, ne ex sinistra parte Rheni lignum effertur, eximitur evectio Abietis, & Pinus. — Quicumque contra legem agere deprehensus fuerit, aut debita portoria præstare recusaverit, primum pro sex mensium carcere, deinde vero pro integro anno condemnabitur. Insignis relatio pro tractantibus merces vetitas, & deceptoribus. Sed quid nobis cum defraudatoribus? Nos cuique suum tribuimus, & fruimur solatio rectæ conscientiæ. — Gaudeamus in Domino!

Nova Lugdunensia de 16. Martii scribunt: Intensa est etiam in Republica Hollan-

dica  
gulo  
me  
feren  
natio  
vit  
ning  
man  
milit  
aute  
dum  
tus.  
milit  
belli  
prio  
Actu  
quot  
vero

Ang  
sit i  
de 2  
leva  
Ebor

di p  
ultar

rum  
tis le  
tenti  
Cura  
vim

dica vigilantia quoad conjurationem. In singulos peregrinantes, & extraneos severissime inquiritur. Ita nuper mercatoria navis ferens Austriacum Officialem magnæ notæ, natione Anglum, Londino venientem, intravit portum Delfcylensem Provinciæ Groeninganæ. Similes inquisitiones sunt sequela mandatorum, quæ Marmontius supremus militiæ Gallicæ Præfectus dedit. Ut primum autem hic Austriacus Officialis se nocendum præbuit, illico in libertatem est assertus. Iste officialis est Williamius tribunus militum, qui dirigendo minorem classem bellicam & in Rheno, & lacu Bodamico priori bello celebre sibi nomen comparavit. Actū servit Domui Austriacæ, menses aliquot exegit Londini cum facultate, nunc vero remeat Vindobonam.

Eadem nova queruntur, nihil novi ex Anglia advenire, cum omnis communicatio sit interclusa. Adesse nihilominus litteras de 28. Martii, quæ affirmant Regem morbo levari, inter principem Valiæ, & Ducem Eboracensem intercessisse reconciliationem.

Quamvis ista nullam peculiarem lætandi præbeant materiam, placet tamen exultare. Gaudeamus in Domino!

Adhuc aliquid: — In commentariis rerum novarum sub nomine: *Moniteur* vulgaris legitur relatio facta Plymutho hujus sententiæ: Mense Decembri in finem vergente Curator quidam rei bellicæ conscendit navim, in qua 600 circiter Galli captivi deti-

nebantur; his facta proclamatione affirmabat, primum Consulem omnia jura belli, & Gentium violavisse, neque velle in ullum permutationis medium consentire, nullam ipsis superesse spem pristinam libertatem recuperandi, sed vitam in turpissimo mancipatu transigendam, nisi honoris nationis Anglicæ participes se cum ea conjunxerint, ut illud horribile, despoticum, & illegitimum imperium comminuetur, & Gallia in priorem redeat statum. Vix conticuit, omnes captivi uno ore exclamarunt: Vivat Bonaparte! Salus Reipublicæ! Tum juvenis quidam Gallus navalis signifer inquit: Quis tibi dedit jus Imperium nostræ Patriæ cavillandi? Asseris illud illegitimum, & tua natio cum eo tractatus inivit, ad illud Legatos misit. Infregisse pacis condiciones? Et Angli sunt, qui ei sub specioso obtentu bellum indixerunt. Esse despoticum? Quod omni Tyrannidi finem imposuit, & inprimis ignavis illis Principibus indignis Henrici boni posteris reditum in perpetuum interdixit &c.

Anglicus Curator interrupit verba signiferi, & captivi repetierunt acclamationem. Plures ex Anglis, qui comitabantur Curatorem, dato applausu intercesserunt pro signifero, ne aliquid detrimenti caperet. Immo Anglicus quidam Officialis lingua gallica in hunc modum locutus est: Ad quamcunque hominum classem quis pertineat, ubicunque locorum degat, quidcunque patiat,

unum  
cont

qui  
suav  
tus e  
debe  
quid  
mus

Ad  
cet,  
drant  
mus:  
gravil  
rum  
consu  
ni pra  
titia p  
DD. I

unum ex præcipuis delictis est arma sumere  
contra Patriam.

Hic omnis, qui suo officio satisfacit,  
qui Patriam suam amat, speciem quamdam  
suavitatis persentiscit. Etiam in hoste vir-  
tus est laudanda. Omnis præclarus Anglus  
debet Gallicum Patriæ amorem admirari. Et  
quid nos? Etiam congaudemus. Gaudea-  
mus in Domino!

### OBSERVANDUM.

Ad complurium propositas Quæstiones, an videli-  
cet, prænumeratio pro Ephemeridibus his per qua-  
drantes anni fieri non possit? Reponendum duxi-  
mus: Licet hujusmodi minuta prænumeratio cum  
gravibus sane molestiis conjuncta sit; ut tamen ho-  
rum emolumento, laudabilique legendi cupiditati  
consulamus, constituimus etiam pro quadrante an-  
ni prænumeraciones acceptare. Quod ipsum pro no-  
titia prænumerare adhuc cupientium, & pro directione  
DD. Postæ Magistrorum, hisce insinuamus.

nebantur; his facta proclamatione affirmabat, primum Consulem omnia jura belli, & Gentium violavisse, neque velle in ullum permutationis medium consentire, nullam ipsis superesse spem pristinam libertatem recuperandi, sed vitam in turpissimo mancipatu transigendam, nisi honoris nationis Anglicæ participes se cum ea conjunxerint, ut illud horribile, despoticum, & illegitimum imperium comminuatur, & Gallia in priorem redeat statum. Vix conticuit, omnes captivi uno ore exclamarunt: Vivat Bonaparte! Salus Reipublicæ! Tum juvenis quidam Gallus navalis signifer inquit: Quis tibi dedit jus Imperium nostræ Patriæ cavillandi? Asseris illud illegitimum, & tua natio cum eo tractatus inivit, ad illud Legatos misit. Infregisse pacis condiciones? Et Angli sunt, qui ei sub specioso obtentu bellum indixerunt. Esse despoticum? Quod omni Tyrannidi finem imposuit, & inprimis ignavis illis Principibus indignis Henrici boni posteris reditum in perpetuum interdixit &c.

Anglicus Curator interrupit verba signiferi, & captivi repetierunt acclamationem. Plures ex Anglis, qui comitabantur Curatorem, dato applausu intercesserunt pro signifero, ne aliquid detrimenti caperet. Immo Anglicus quidam Officialis lingua gallica in hunc modum locutus est: Ad quamcunque hominum classem quis pertineat, ubicunque locorum degat, quidcunque patiatur,

unum  
contr  
I  
qui P  
suavi  
tus e  
debet  
quid  
mus

Ad  
cet, P  
drante  
mus:  
gravib  
rum e  
consul  
ni pra  
titia p  
DD. P

unum ex præcipuis delictis est arma sumere contra Patriam.

Hic omnis, qui suo officio satisfacit, qui Patriam suam amat, speciem quamdam suavitatis persentiscit. Etiam in hoste virtus est laudanda. Omnis præclarus Anglus debet Gallicum Patriæ amorem admirari. Et quid nos? Etiam congaudemus. Gaudeamus in Domino!

### OBSERVANDUM.

Ad complurium propositas Quæstiones, an videlicet, prænumeratio pro Ephemeridibus his per quadrantes anni fieri non possit? Reponendum duximus: Licet hujusmodi minuta prænumeratio cum gravibus sane molestiis conjuncta sit; ut tamen horum emolumento, laudabilique legendi cupiditati consulamus, constituimus etiam pro quadrante anni prænumeraciones acceptare. Quod ipsum pro notitia prænumerare adhuc cupientium, & pro directione DD. Postæ Magistrorum, hisce insinuamus.

*In eadem hac Typographia Belnayana sequentes libri prostant :*

Bárdosy, Moldavenfis vel Szeplienfis Decimæ In-  
dagatio est proxima terræ Szepusienfis, & huic  
innexarum, sacro - profanarum Jurisdictionum  
evolutio. 4. maj. in charta scriptoria 2 fl. 30 xr.  
in impressoria 2 fl.

Gubernath, Institutiones Linguæ & Litteraturæ Hun-  
garicæ cum Phrasologia, & Syntaxi ornata.  
1803. 8. Tomi II. 2 fl. in charta scriptoria 3 fl.

Manuale Catholicum continens Officium B. M. V.  
Defunctorum, de SS. Sacramento, S. Crucis;  
Psalms Graduales, Pœnitentiales; Hymnos per  
totum annum, & varias preces cum cogitatio-  
nibus Christianis R. P. Bouhours pro quolibet  
die mensis. 12. cum effigie B. M. V. 48 xr.  
in charta postali. 1 fl. 12 xr.

Moralis Philosophiæ Christianæ de Virtutibus &  
Vitiis Tractatus. 8. maj. 48 xr.

Theophrón, vagy a' tapasztalt Tanácsadó a' ta-  
pastalatlan Ifjússág Hasznára. 1804. in 8. 1 fl.  
45 kr. Posta papirofra 3 fl. Fényes papirofra  
6 fl. 40 xr.

Elisa, avagy millyennek kell lenni az Afzfony-  
nak. 8. 1 fl. 30 kr. in Charta scriptoria 2 fl.

Atala, ou les Amours de deux Sauvages dans le  
Désert, par F. A. Chateaubriand. 12. rélie 1 fl.  
8 xr. sur Papier de Poste. 2 fl. — Velin 4 fl.

Atala, vagy két Indus' szerelme a' Luizianai Pusztá-  
tákon. Kötve 1 fl. 8 kr. Posta papirofra 2 fl.  
Fényes papirofra 4 fl.

---